

notaeque illae incisae sunt, pauci tantum agri Neapolitani tituli urbanis vere Farnesianis adiuncti fuerunt. Nihilominus titulos, de quorum urbana origine ex solo inventario solave lapidis nota constaret, non multos magis placuit ita relinquere in Puteolanis, ut de origine probabili lectores admonerem. Borgiani musei plenus catalogus scriptus extat inter acta musei Neapolitani. Duorum reliquorum museorum Herculaneensis et Danieliani inventaria neque ante illationem facta sunt neque tum cum inferebantur. — Agri Neapolitani titulos non paucos singillatim in museum illatos esse consentaneum est; musea vero in id pervenerunt eius generis haec:

1. Capimontanum, quo antea illati fuerunt tituli collecti a duce Carafa de Noja. Dixi de eo supra c. XXXIV eiusque musei elenchum significavi extare inter Mariniana.

2. Mazarum, quod ipsum recepisse Spadaforana pleraque supra c. XXII vidimus, in publicum illatum est, ut dixi, a. 1809. Qui tituli apud Mazas fuerint, ex schedis potissimum Muratorianis intelligitur, nec multi erunt tituli in museo publico ex Mazano profecti, quorum origo ignoretur.

3. Iosephus Maria FVSCO quae Puteolis fere collegit, postquam ipse edidit omnia (*di alcune iscrizioni di Pozzuoli e sue vicinanze*. Neapoli 1851. 4. pp. 54). museo donum dedit die 24 Iun. 1852.

4. Titulos collectos sub finem saec. XVIII et initio huiusce ab episcopo Puteolano Rossio in agro potissimum Puteolano (quamquam unus certe n. 1961 et forma et argumento urbanam originem prae se fert) ipse a. 1846 Puteolis in monasterio S. Francisci descripsi omnes. Eisdem nuper edidit Iosephus Maria DE ISANTI (inscriptiones Puteolis erutae. Neapoli 1872. 8. pp. 71) male exceptos; quem librum omni nomine inutilem sufficit indicavisse. In museum Neapolitanum pervenerunt d. 31 Mart. a. 1856 una cum duobus titulis donatis ab Archangelo Bruschi Puteolano.

5. Tituli qui fuerunt Neapoli in collegio Iesuitarum et apud Iorium et apud principem di S. Giorgio et apud Castaldium omnes post a. 1851 in museum venerunt. Coempti sunt a dominis fere in agro Neapolitano, nisi quod Castaldius aliunde quoque titulos habuit.

6. Tituli musei Santangelani adservantur hodie in museo publico, separati tamen a reliquis neque leguntur in catalogo eius mox citando. Inest urbanus certe unus (v. n. 358*, VII).

Qui primus museum a. 1823 iussu academiae regiae Herculaneensis ordinavit Raimundus GVARINIVS titulos secundum argumenta in classes¹⁾ divisos per parietes disposuit. Ad origines plane non attendit, nisi quod Pompeianos segregavit vel certe segregare voluit; nam coniectura

1) Debuerunt esse octo: 1) sacra; 2) opera publica; 3) Caesarea et Augustea; 4) munera et honores; 5) sepulcralia ethnicorum; 6) fragmenta et anonyma; 7) aera; 8) christiana. Vere tamen quattuor tantum classes fuerunt sacrarum honorarum sepulcralium miscellaneorum praeter medii aevi titulos et aera. Accedebant tituli non expositi et plane abiecti permulti. In editione priore ad singulos titulos classem adscripsi et ordinis numerum; quibus ipsis sublati has quoque indicationes hodie inutiles iam sustuli.

1544 [= 2583] litteris magnis et pulchris. Origine fortasse Cumana; v. n. 3683. Puteolis apud Andr. Fraiam MAFF. Deinde in S. Francisci sacr. n. 17. Hodie Neapoli in museo publico.

APOLLINI • SACRVM
Q • TREBELLIVS • RESTITVTVS •
FECIT •

Descripsi et recognovi. Maffei M. V. 477, 6 (inde Donat. 18, 1) a Pratillio; *Antichità di Pozzuoli Cume e Baja* fol. 1768. tab. LXVIII; Iorio ms. 1. B. 46 et *guida di Pozzuoli* 1847 p. 148; Minervini inscr. mus. Borb. p. 137 suppl. n. 6; Fiorelli cat. n. 457.

1545 [= 2584] basis. Fortasse Cumana, vide n. 3683. Puteolis rep., postea Neapoli in hortis D. Antonii de Iudice principis Cellamarii VIGN. Ibi hodie non extat.

SACRVM
APOLLINI
C • RATINIVS
FIRMVS

Io. Vinc. Rondinellus apud Vignolium p. 184 (inde Mur. 23, 2).

1546 [= 2585] similis est Puteolana Graeca C. I. Gr. 5854. Neapoli in domo ill. marchionis Betonti IVC. *Sopra S. Paulo a Majella in casa del duca d'Atri murata nel corridoio tanto che non si può conoscere se sia quadrato* ACC.

AELIA • NICE • ET • CALLISTVS • MEDI
CVS • ASCLEPIO • ET • HYGEIA •
DONV POSVERVNT
ara serpens ad aram adrepens

Giordanus ms.; Grut. 69, 2; Capaccius l. I c. 14 p. 210) et Waelscapple ms. f. 78. Ex lapide Accursius II n. 16 qui delineavit.

Vv. divisi ad Acc. — 1 NICAE Bon. Ap. — CALISTVS Iuc. m. 1. — MEDICVS om. Iuc. (Ver.), habent Bon. Aug. Waelse. — 2 HYGEIA traditur. — 3 DONV Iuc. Bon. Aug. Acc. — De anaglyphis constat per Acc.

potissimum rem egit saepe temeraria nec raro certis testimoniis contraria. Eo statu museum cum esset, ego ante hos triginta annos titulos ibi extantes per a. 1846. 1847 omnes mea manu transcripsi. Deinde inscriptiones regni Neapolitani edens quantum potui singulos ad suas origines revocavi adiectis appendicibus altera titulorum originis externae, quorum longe plurimi urbani erant in museum publicum Neapolitanum inlati, altera titulorum originis mihi ignotae. Post aliquot annos musei titulos seorsum edere coepit F. M. AVELLINIVS (inscriptiones veteres, quae in regio museo Borbonico adservantur. Inscriptionum Latinarum classis prima: sacrae. Neapoli 1857 fol. pp. 140 et add. et emend. pp. 6 non num.; tabb. 3), cui immatura morte abrepto successit (inde a p. 109) MINERVINIVS; sed vices rei publicae mox opus abruperunt. Collectanea ab Avellino ad editionem parata, quorum pars ipso antiquior continet adnotationes quasdam originum titulorum pertinentes ad a. 1752—1787, petitas fere ex actis tabularii publici Neapolitani, apud heredes Avellinii mea causa inspexit et excerpit Duhnus. Iam vero nuper ut universae Italiae, ita museo quoque Neapolitano meliora tempora advenerunt. Iosephus FIORELLIVS ei praefectus die 29. Nov. 1863, quem diem epigraphici omnes deinceps meliore lapillo notabunt, arduam sed necessariam rem gnave adgressus nactusque optimum adiutorem Iulium DE PETRA antiquam dispositionem, quae vere nulla erat, sustulit, lapides diffractos et diversis locis expositos (id quod passim factum erat) coniunxit, origines adhibita sylloge mea, item actis musei (quae tamen in universum non multa dederunt) indicationibusque Henzeni, Scherilli, Garruccii diligenter exploravit, ut coniecturae non multum neque id sine ratione daret, ad eas origines divisos titulos parietibus adfixit, suum cuique numerum adscripsit, denique titulorum omnium diligenter ad archetypa recognitorum catalogum ad musei numeros ordinatum publici iuris fecit (*Catalogo del museo nazionale di Napoli. Raccolta epigrafica*. I. *Iscrizioni Greche ed Italiche*. Neapoli 1867. pp. 44, nn. 1—159. II. *Iscrizioni Latine*. Neapoli 1868. pp. 208, nn. 1—2401. fol.), ut iam in universo orbe terrarum (expertus loquor) nullum extet museum lapidarium artis nostrae legibus omni nomine ita satis faciens ut facit Neapolitanum, neque qui musea eiusmodi ordinant melius facere possint quam ut eam constitutionem accurate et perite sequantur. Nihilominus quod dixi in editione priore quantacumque posterorum diligentia nullo modo plane tolli posse incredibilem confusionem a maiorum incuria generatam, id non fefellit. Nam etiam in catalogo Fiorelliano tituli remanserunt plus trecenti (n. 1542—1835) 'incerti situs'. — Iam huius syllogae causa titulos in museo hodie adservatos, cum antea plerosque eorum meo iussu Henricus NISSEN aut ad editionem meam recognovisset aut deficiente ea descripsisset accurate et perite, ipse omnes diligenter relegi praeter urbanos quos collegis reliqui; neque enim in hac sylloge, quae pars est corporis inscriptionum pleni, locus dandus fuit titulis ex urbe Neapolim adlatis. Originis testimonia hic illic augere licuit longumque ordinem incertorum aliquatenus deminuere; qui vero restabant, iam, ut supra dixi (p. 183), edidi cum Puteolanis.